



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

§. 1. An statim à communione comedere liceat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Cap. III. De requisitis post Communionem. 75

debuisset in suo ritu communicare: sed ex consuetudine recentiore saltem in nostris his Siciliae partibus, eos aliter observare, non immerito possit. Ratio prioris partis est, quia, ut supra n. 5. diximus, ad hoc concessa sunt illa templa alieni ritus, ut quisque suum servet: intellige cum exceptione dicta num. praecedente.

24. Ratio posterioris partis est ea, quam proponendo casum, de quo olim Messanae interrogatus fui, jam subjo. In nostro Domus Profetiae templo singulis mensibus, celebratur solemnis Fidelium Communio, ex privilegio Summi Pontificis concessa, in eam formam, ut qui ibidem Sacram Eucharistiam suscipit, Indulgentiam plenissimam lucretur. Graeci ergo nonnulli Graeco more Messanae viventes, solitum in fermentato apud templum S. Catharinae, ubi Graecus ritus servatur, communicare, interrogaverunt nostros, an possent apud nostrum Societatis templum Eucharistiam in azymo recipere, indulgentiamque lucrari; Ex Fagund. num. 10. allato, videtur multis negativè esse respondendum: Nihilominus putavi non esse illos tanto bono defraudandos, atque adeo posse. Motus fui primò, quia Pontifex dum cum Indulgentiam omnibus Fidelibus concedit, non videtur velle excludere Graecos ibidem commorantes: quare cum ex alia parte determinet locum communionis, ubi non nisi in azymo Eucharistia distribuitur; videtur implicite concedere facultatem in illa communicandi. Secundo, quia non solum in hoc casu, sed etiam nulla interveniente causa, Panormi, ubi nihilominus tenet templum Sanctae Sophiae, in quo servatur pro Orientalibus orientalis ritus, Auditores nostrorum scolarum Graeci Graeco ritu viventes, passim, in nostris Congregationibus, templisque communicant, pende ac ceteri Latini, in azymo: id quod, cum ego observassem, atque à P. Francisco Scorsio nostrae Societatis viro docto, & erudito, qui uni ex iis Congregationibus Philosophorum praerat, inquisissem: atque mea interrogatione motus, ab ipsis Graecis esset rem sciscitatus, responderunt se sine scrupulo semper ita fecisse, nec esse à sua consuetudine repellendos: quare nec nos reputamus, Tertiò, quia cum ego minimus Theologi munere immunito fungerer apud Illustrissimum Archiepiscopum Montis Regalis Dominum D. Joannem de Torrefrancha in visitatione Oppidi La Piana ejus Diocesis (adver- ti Graecos non infrequenter in Ecclesia Latina (quae tunc cum suo Archiepiscopo, seu Parocho Latino pro Latino residet) in azymis sine ullo scrupulo communicare: non verò de contra Latinos in templis Graecorum in fermento. Quare rationem diversitatis inquirere volui: responderuntque ij Sacerdotes id fieri, quia cum sit universalior ritus Romanus, quam Graecus, licet Graeco Romanum, utpotè universalior, sequi: non verò Romano Graecum. Hae illi. Sed licet ratio haec nimis prober, probat enim Graecos etiam in Ecclesia Graeca existentes, ad libitum, Latinos ritus sequi posse; tamen, & tangit rationem quam ex Suario supra n. 4. diximus: satis mihi est, usurpationem illam Graecorum communicandi aliquando in azymo, non statim, ut omnino illegitimam, esse damnandam. Nam propterea, me auctore, à tali consuetudine Illustrissimus Praeful oppidanus illos nequaquam dimovet.

Hactenus resolutione Messanae data: ex qua, quod probare intendebamus, iam probatum manet.

25. Dico tertio, de Graeco versante inter Latinos, ubi nullum existit templum Graecum, & de Latino versante inter Graecos, ubi nullum adest Latinum templum, esse distinguendum. Si enim Fidelis movit domicilium, debet regulariter communicare ritu domicilij. Ratio est eadem, ac dicta supra num. 7. quia scilicet factus est pars illius Ecclesiae, in qua sedem fixit. Dictum autem est verò domicilium non mutavit, sed est iter agens, vel scolaris per aliquod tempus, poterit communicare, ut libet, vel in azymo, vel in fermentato. Ratio est eadem, quae dicta est eodem num. 7. quia scilicet probabile est

Peregrino dari facultatem; sed non obligationem sequendi ritus loci. Ex defectu tamen proprii ritus oriri solet, ut is astrictus sit communicare semper in alieno, quando suus non adest. Ita Montis Regalis, ubi nullum est templum Graeci ritus, Graeci adolescentes ex dicto Oppido La Piana, alias Graeco ritui addictissimi, in azymo semper, more Latinorum, cum fermentato eareant, communicant.

CAP V T III.

De iis, quae ad communionem pertinent postquam peracta est.

§ I. An statim à Communione comedere liceat.

1. Licet maxime consulendum sit à peracta Communionem non statim ad comedendum evolare; tamen id in praeepto non est. Ita Valentia aliqui quos citat, & sequitur Layman. lib. 5. tract. 4. c. 6. n. 24. in fine. & Marchin. de ord. tract. 3 p. 3. in fine. Nec obstat capitulum, Tribus gradibus, de Consecr. distinct. 2. ubi ei, qui mane sumpsit Eucharistiam, praecipitur jejunium usque ad sextam: & ei, qui sumpsit tertia, vel quarta hora, idem praecipitur usque ad vespertam: non obstat, inquam, quia, is Canon jam est usu abrogatus. Facit ad hoc id quod dicam mox §. 4. n. 2. in fine.

§. II. An statim ab accepta Communionem expuere liceat.

2. Certe congruum est expectare aliquantisper: diu enim necesse non est; cum species Sacramentalis, natura sua, in stomacho cito corruptantur: de qua re vide §. 4. n. 4. nihilominus, statim postquam non est periculum, quod aliquod fragmentum in ore remanserit, expuere, non est illicitum. Ita Marchin. ibid. quia vulgum hac de re praeeptum extat.

§. III. An vomata ruminare, ad evocandum phlegma liceat statim à Communionem.

3. Licere, sicut licet expuere, secluso metu fragmenti in ore relict, quia nullum praeeptum est in oppositum, colligi potest ex modo dictis §. praecedenti. Et confirmatur, nam sputum, seu saliva ex capite distat in os: ut habet, praeter Medicos, S. Gregorius Hom. 10 lib. 10. in Ezechiel. ante medium. Non est igitur cur timeatur irreverentia sacris speciebus, quae dum indigestae sunt, in stomacho resident. Illud autem phlegma, quod Masticæ, Pipete, Tabacco, vel simili evocatur, sputum est, & saliva. Nam si quando adhibeatur aliquid ejusmodi, ut vomitus à stomacho excutitur, longe alia ratio est, de quo jam subdo.

§. IV. Quando liceat infirmo, post peractam Communionem vomere.

4. Accidit nonnunquam, ut supra Communionem indigeat quis vomitum provocare. Quando nam id licebit?

Puto licere post horam: quia tunc sacra species digestae regulariter sunt. Ita Ioan. Sanchez in select. disp. 38. num. 2. Dixi (regulariter) nam certum in valido stomacho, vel in minori quantitate, citius: infirmiore, vel in maiori quantitate, tardius digestio illatum fieri poterit. Novi ego infirmum, qui integrum sacrum orbem, post mediam horam, aliquanto plus, superveniente singultu, vomuit. Si quando ergo tibi post horam provocanti, etiam decurrat; per accedens erit: & illud de illis sacris speciebus fiat, quod diximus supra cap. 1 §. 5. num. 14.

Delogo de Eucharist. disp. 20. sect. n. 34. ex Medicorum placito probat formulam communem, quae Lucis ad Communionem distribui continevit, corruptum in